...ryhowski

Paxcii Nicolai: Aureum Divi Nicolai Episcopi Myrrhensis Centuplici Disticho exornatum

AVRVM
DIVI NICOLAI

Epiſcopi Myrrhenſis,

CENTVPLICI DISTICHO
EXORNATVM,

AC

Perilluſtri & Rńdmo Dńo,

D. NICOLAO
OBORSKI,

I.V.D. Epiſcopo Laodiceñ: Nominato Suffraganeo, & Archidiacono Crac: Cantori Poſnanieñ: Eccleſiæ Collegiatæ SS. Omnium Crac: Decano, ac interim Sede vacante Epiſcopatus Crac:

GENERALI ADMINISTRATORI,

Domino & Patrono Colendiſſimo.

PRO

Annua MAGNI PATRONI feſtiuitate recurrente:

IN

Debiti Cultus & Obſeruantiæ MNEMNOSINON

OBLATVM.

A NICOLAO PASCIO, Sæculari ſub Caſtro Lipoueceñ: Presbytero.

Anno Salutis, 1657. die 6. Decembr.

IN STEMMA GENTILITIUM.



Fulcite me floribus, ſtipate me malis; quia amore langueo.
Cant. 2.

ME fulcite roſis, date LILIA langueo; nuper
Ingemuit, PETRI ſaucia morte Petra.
Audijt admirans, AQVILâque volente, dolorem
Solus ait præſens hunc ego ſolor OLOR.
Aſt js cùm moeſtis differt ſolatia pullis;
CANCELLOS recreans REGIE SCIRPE Tuos:
Ne doleas; redolent, Sacræ dixêre Coronæ
Suauè in OBORSCIACO LILIA nata ſolo.

sententiâ animaduertas, multa priuatim siue admonen-
do maturè, siue castigando amicè, mirabili efficaciâ com-
ponis, ordinas, concilias totiesq; illud Christi, Esto consen- Mat. 5.
tiens aduersario tuo citò, *dum es in via pluribus inculcas.*
Facis hęc amore suffragante, et cor ad conniuēdum com-
miserendumq; proximo inflectente. Hic est amor PERILLV-
STRIS & REVERENDISSIME DOMINE, *qui Te Formam gre-* 1. Petr.
gis (vt ait Apostolici Collegij Princeps) et Archety- c. 5.
pum facit; quem si omnes intenits animis, et fixis oculis
intueremur profectó vitijs hominum vindictam Diuinam
prouocantibus, aut radicitùs euulsis, aut magna ex par-
te perpurgatis, ac non ita increbrescentibus ingraueścē-
tibusq; mala hęc, quę cum Orbe Christiano, et nostram
hac tempestate presserunt, premuntq; Rempublicam, ne-
quaquam pateremur. Hic est Amor PERILLVSTRIS &
REVERENDISSIME DOMINE, *qui posteaquam mihi semel*
ac iterùm, quanquam cęcutienti et lippienti oculo à longè
et quasi per cancellos prospectus esset, cor ita rapuit, tra-
xit, et deuinxit meum; vt nunc primum Ethicum illud, li-
cèt Ethnicum, verè ac re ipsa intellexerim: Virtus si ocu-
lis corporeis cerneretur, mirabiles amores in hominum
cordibus excitaret. Hic est, qui Tibi candidum suggessit
LILIVM, non illud, quod in GENTILITIO *geris* STEMMATE:
Hoc enim à MAIORIBVS *partum accepisti, ex quo tibi plus*
sanguinis, quam virtutis manat: sed illud quod in hor-
tulo cordis radicatum, et in vitę innocentis propatulo
eutre-

euirefactum, inculpatis moribus, ceu tensis manibus, velut alter gestas CASIMIRUS. *Clamabat quondam Sponsus ille candidus et rubicundus, atq; in hęc gloriabundus prorumpebat.* Ego flos campi, & lilium conuallium.

Cant. 2. *Flos campi est, & lilium conuallium* OBORSCIANVM LILIVM *non spinis septum, aut sepibus, vt in hortis fieri assolet, circumdatum, sed patens, velut in campo, & apertum, vt liceat omnibus ad illud accurrere, & tam candorem ac innocentiam vitę liberè, quam odorem gratię & beneficentię degustare. Nempe amoris ea natura, & conditio est, vt quia summum in se est bonum, ita omnibus sit sui communicatiuum & diffusiuum. Ad fontem diffusum quis non accedat, & vltró sese ingerentes, ac in buccam, vt aiunt, venientes salubris aquę riuulos quis sitibundus non bibat? Accessi ego conscius ariditatis, dicam tenuitatis meę,* PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE, *& vberes gratię* PERILLVSTRIS *hausi torrentes, agnouiq; amorem Tuum amorem Patris, amorem Domini, amorem* NICOLAI. *Amorem inquam* NICOLAI *in pectoris Tui centrum ab ipsis primordijs, aut cum lacte nutricis instillatum, aut cum latice Sacri fontis infusum. Quid ego hic in amplissima tanti* ANTISTITIS *pręconia imbecilli calamo excurram? Quid gesta illius admirabilia, ac nunquam satis deprędicanda ex asse percenseam? Frustra rate fragili ac remo exili in mare procurritur, & aqua ipsius guttatim, aut arena numeratur.*

Missis

Missis itaq; hactenus alijs eius, quanquam laude dignissimis virtutibus dum vnicum AMOREM, in auro tribus virginibus impenso, palam emicantem, DISTICHO CENTVPLICI *illustratum volo,* TVÆ CELSITVDINI, *cum animi mei submissione pręsentatum offero, vt à* PERILLVSTRI NOMINE TVO, *& Authoramento, maiorem accipiat, prodeundo in lucem, mea exilis Musa, & illustritatem & authoritatem. Audax quidem fortasse cuipiam videbor, quod Academiâ dudum egressus luce Peripati & sub modio fumigans, in specula tot eruditorum, ineruditum arripiam calamum. Sed audacem me fecit amor. Ille, qui de cisterna Bethleemitica per strenuos quosdam aciem Philistinorũ armis perrumpentes expetitum Dauidi portauit Cyathum.* 2. Reg. c. 23. *Ille, qui prętereunti Artaxerxi modicum obtulit petitę è proximo flumine per Sinetam aquę pugillum. Ille, qui Henrico Barbato Polonorum Principi exigua per humiles colonos ferebat munuscula, hilari vultu et non ingratâ manu acceptata. Accipe et Tu* PERILLVSTRIS REVERENDISSIME DOMINE, *hoc meum qualequale est Epęnon, in debiti cultus et obseruantię Xenium, Clientemq; humillimum fauore et amore paterno complexus, meritis ac virtutibus æternùm duraturis fortunatam;* 1. Cor. 13. *cuius Amor nunquam excidens, finis est et principium, æternitatem ingredere. DIXI.*

PERILLVSTR: & R̃DISSIMÆ CELSITVDINIS TVÆ

Humillimus Cliens,

NICOLAVS PASCIVS, sub Castro Lipouecẽ: Presbyter Sæcularis.

B

AD PERAVGVSTVM
Sacri Senatus Cracouieñ:
COLLEGIVM.

MOris & ætherei Regnum fecistis amoris:
O venerandorum SANCTA CORONA PATRVM
CASIMIRVS vt est triplici diademate cinctus:
Sic decorat vestrum trina CORONA CAPVT.
In caput innocui, caput inuiolabile REGIS
Hostilis frustra rugijt ille furor
Idem luget in his dentes fregisse Coronis
Monstraque pacificus ferrea vicit Amor
Sic BERNARDE Tuis VILHELMVS concidit
Attila sic victus Marte LEONIS erat. (armis
Tam bene regnanti, quã Sceptra dabũtur AMORI
Scitis ? OBORSCIACO LILIA nata solo.

AVRVM DIVI NICOLAI Centuplici Disticho Exornatum.

AD S. NICOLAVM.

Aurea nostra queant vt Disticha, PRÆSVL, habe (ri;
Tractabunt aurum, Disticha nostra, tuum.

I.

Anagramma NICOLAVS, LAVS, JCON.

LAVS est virtutis NICOLAVS, Amoris & ICON.
Laudem suspicias, icona respicias.

II.

Nesciat sinistra quod facit dextra. Matt. 6.

Dextra pudica pio dat munera, nocte pudori:
Nilque sinistra videt, quod bene dextra facit.

III.

Jn omnem terram exiuit ſonus eorum. Pſal. 18.

Nummorum ſonitus terras exiuit in omnes;
Mittis in exiguam quos NICOLAE caſam.

IV.

Anagramma NICOLAVS, LAVS, JCON.

Flos eſt LAVS florum NICOLAVS, mellis & ICON.
Legêre auriferum Virgineæ mel apes.

V.

Alter arator ijt, ſator auri ſemina ſparſit,
Occator redijt. Mirus arator amor!

VI.

Erraui ô PRÆSVL, dixi Pataræus arator
Quod fueras, at Tu Caſtus amator eras.

VII.

Tres vt apes, inopes ſunt tres ſine dote Puellæ,
AVRIFER alueare eſt, aurea gleba fauus.

VIII.

Dilexi mandata tua ſuper aurum. Pſal. 118.

Lex Domini eſt conferre ſtipem, quam ſeruat Ephebus,
Aurum diſtribuens pro ſtipe pauperibus.

IX.

Sæcula Erythreis rurſum aurea currite riuis
Aurum pauperibus diuite currit ope.

X.

Aurea ſi quando tunc aurea floruit ætas,
Aurea virginibus dum data gleba tribus.

xi. Diues

XI.

Diues Amaltheæ est NICOLAI dextera cornu,
Fundit huic locuples aurum, & huic, & huic.

XII.

Apostrophe ad puellas auro donatas.

Vt rubet hoc aurum, dans aurum, dixit Ephebus:
Cernite si vester sit pudor. hoc speculum est.

XIII.

Ad S. NICOLAVM.

Mater es, Alme PATER, maternas pauperis in tres
Diuite matris apes vbere fundis opes.

XIV.

Et Pater, & mater, castis NICOLAE Puellis,
Quas tua dote piâ dextera ditat, eras.

XV.

Tres cui seruatum debent sine labe pudorem,
Nonne vocem Sponsas ô NICOLAE tuas?

XVI.

Et Patrem, & matrem, & Sponsam, vnum fecit Ephebum
Trinis virginibus. mirus & vnus Amor!

XVII.

Inimicus homo hoc fecit. Mat. 13.

Semina quis lolijs superinserit aurea diris?
Non inimicus homo hoc fecit, amicus homo.

XVIII.

Non lolium spinasque ferent, quos semine spargit
Aurifero vacuos hospes amicus agros.

XIX.

Purpura virginei ne pollueretur honoris,
Aurea DIVE tuæ purpura fecit opis.

XX.

Fœcundum fœcundus erat flos PRÆSVLIS aurum,
Mel dotale inopes, vnde bibiſtis, apes.

XXI.

Tres glebas vbi cerno, roſas tres cerno virentes;
Auriferas glebas, auriferaſque roſas.

XXII.

Apoſtrophe ad Puellas auro dotatas.

Auriferas legitote roſas, roſa ſi qua pudorem
Tam teget innocuum, quam decet, iſta teget.

XXIII.

Aurum eius, aurum optimum manus tornatiles aureæ.
Cant. 5.

Cui caput eſt aurum, manus, & tornatilis auro?
Aurum pauperibus qui dare nouit, HERO.

XXIV.

Beati immaculati in via. Pſal. 118.

Immaculatus iter quis amans ijt? Aurea noctu
Qui data virginibus virgine mente tulit.

XXV.

Quam caſtus fueris IVVENIS niue purior, aurum
Quod das pro caſta virginitate, probat.

XXVI.

Aureus Antiſtes, vir es ô NICOLAE, futurus,
Quando inopes auro paſcis Ephebus oues.

XXVII. Tre

XXVII.

Tres glebæ, tria ſunt gutturnia, trina Puella
A Venere ingenuas eluit vnde manus.

XXVIII.

Ferratis Cytheræa petat ne corda ſagittis,
Ægidas auriferas auree profer amor.

XXIX.

Virginei ſitijt tellus exhauſta pudoris,
Quam rigat auriferis caſtus Ephebus aquis.

XXX.

Quo Veneris collum quatiat, ſine pondere, grande,
Et graue tormentum baiulus vrget amor.

XXXI.

Gleba triplex ceu gutta triplex aurata, Puellæ
Triplicis arentem, quæ madefecit humum.

XXXII.

Quos pariet fructus auratis ſparſa fluentis
Terra? verecundi pignora Connubij.

XXXIII.

D. MARTINO confertur NICOLAVS.

Quod vni de minimis feciſtis, mihi feciſtis. Mat. 25.

Cum Magno Martis, quis Ephebo nexus Ephebo?
Hic auri glebam dat Domino, ille togam.

XXXIV.

Vos eſtis corpus Chriſti. 1. Cor. 12.

Et Chriſto, turbæque inopi dedit & ſibi. Quiſquis
Corpus CHRISTE tuum eſt, dat ſibi, dando tibi.

XXXV. Lyn-

XXXV.

Lynceus eſt Iaculator amor. dat ſæpè ſagittas,
Et quouis ictu quælibet icta fera eſt.

XXXVI.

Gleba ſagitta triplex, pia dextra pharetra, Puellæ
Meta, cor eſt neruus, totus & arcus amor.

XXXVII.

Tempus faciendi Domine diſſipauerunt legem tuam. Pſal. 118.

Lex eſt virginei diſperſa pudoris; Ephebus
Tempus ait, facere eſt, nec mora nocte facit.

XXXVIII.

Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine. Ibidem.

Nocte ſtipē dum portat AMANS, verbum, inquit, opacâ
Nocte tuum, pedibus, CHRISTE, lucerna meis.

XXXIX.

Nox, animuſque tenax tentarunt pectus Ephebi:
Proterit aggreſſus quos benè victor Amor.

XL.

Tres glebæ mundi tres partes, ipſe Monarcha
Quas vbi partitur, ceu dominatur, Amor.

XLI.

Iuſſa ſui peragens Domini, ſua munia, currit
Et ſeræ noctis tempore, ſeruus Amor.

XLII.

Aurum Regificis manibus Regale dat actus
Regificis pedibus. Rex animoſus amor.

XLIII. Au-

XLIII.

Aurea virgineis capit inſtrumenta colendis
Terris. Aureus eſt nempè Colonus amor.

XLIV.

Amore langueo. Cant. 2.

Vt deſiderio clamet langueſco pudoris,
In COR agit telum tale. Tyrannus amor.

XLV.

Fur amor. hoc rapuit quod non dedit, arguit & ſe
Veſpere, moxque cui debuit, ipſe tulit.

XLVI.

Excubat, eſtque ad opem vigil atrâ nocte ferendam
Cuſtos virginei eſt nempè pudoris amor.

XLVII.

Decoquit impurum fornace in pectoris aurum
Diſtillatque ſuis. Chimicus alter amor.

XLVIII.

Faſcia amor, læſi vulnuſcula tecta pudoris
Aureus auratâ qui pietate fouet.

XLIX.

Exſtinxit fædos caſtos accendit amores
In tribus obiectis. Ignis, & humor, Amor.

L.

Memor fui nocte nominis tui Domine. Pſal. 118.

Iuſſa DEI VATES meditatur tempore noctis:
Iuſſa DEI, IVVENIS, tempore noctis, agit.

LI.

Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Pſal. 62.

De luce ad Dominum REX euigilauit, Ephebus
De nocte, Orator REX, ſtipis ille dator.

LII.

Tres iaculante globos auri iuuenilis amore,
Tres ſine clade piæ procubuêre feræ.

LIII.

Exultauit vt gigas ad currendam viam. Pſal. 14.

Exultauit ouans per opaca crepuſcula noctis,
Alter ijtq́ue Gigas, Portitor ille ſtipis.

LIV.

Viam mandatorum tuorum cucurri. Pſal. 118.

CHRISTE viam legiſq́ue tuæ, noctiſq́ue cucurri,
Dum ſtipe depoſita vertit Ephebus, ait.

LV.

Veſtem Hymeni ſarſit, niueum texitq́ue pudorem.
Tecta pius ſarſit, ſartaque texit Amor.

LVI.

Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Pſal. 118.

Vana vt ne videant, oculos DEVS obrue nocte:
Aurum vbi virginibus portat Ephebus, ait.

LVII.

Portio mea Domine, dixi cuſtodire legem tuam. Ibidem.

Lex dare CHRISTE tua eſt, mea portio, dixit AMATOR;
CHRISTE tuam legem ſeruo, dediq́ue ſtipem.

LVIII.

Non lupus insidias explorat ouilia circum.
Nec gregibus nocturnis obambulat. Virg. l. 3. Georg.

Quis, nisi Pastor amans, circumstat ouilia noctu,
Auriferâ vacuas qui stipe pascit oues?

LIX.

Speciosus forma præ filijs hominum. Psal. 118.

Præ natis hominum forma speciosus Ephebus:
Splenduit, auratas nocte deditque faces.

LX.

Filiæ Tyri in muneribus. Ibidem.

Stant in muneribus Natæ, Pataræque Tyrique;
Rex Vates vocat has, donat Ephebus eas.

LXI.

Erexit cornu salutis. Lucæ 1.

Aureus erexit Castis sine dote Puellis,
Ex auro Cornu grande salutis, HERVS.

LXII.

In noctibus extollite manus vestras in sancta. Psal, 133.

Nocte in sancta manus extollite. legit Ephebus,
Extulit, inque stipem nocte citatus ijt.

LXIII.

Auratum tulit hæc, tulit hæc, tulit illaque pomum.
Si tres hæ Diuæ, tu NICOLAE Paris.

LXIV.

Non litis, casti est iudex NICOLAVS Amoris,
Pomiferum tribuit quando Deabus ebur.

LXV.

Ecce iſte venit. Cant. 2.

In ſcelus omne ruit Veneris ſectator, Amator
Cum ſtipe virginei pectoris, ecce venit.

LXVI.

Saliens in montibus. Ibidem.

Binus amor montes ſunt bini, inopumque DEIque,
Quos ſalijt lator nocte, ſtipiſque dator.

LXVII.

Tranſiliens colles. Ibidem.

Sunt colles, parcæque manus, noctiſque pericla,
Quos bene tranſilijt cum ſtipe quiſquis ijt.

LXVIII.

Memor fui nocte nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam. Pſal. 118.

Nocte memor Domini quis legem ſeruat herilem?
Aurea pauperibus qui data nocte tulit.

LXIX.

Eſt cæcus nec cæcus Amor: benè cernit egentes,
Dum fert nocte ſtipem, nulla pericla videt.

LXX.

Benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas. Pſal. 62.

In vita inque via benedicam, dixit ITVRVS.
Inque leuabo tuo nomine CHRISTE manus.

LXXI.

Columbæ deargentatæ. Pſal. 67.

In dotem oblato ditata, deargentata,
PRÆSVLIS argento trina Columba ſtetit.

LXXII.

Vt faceret puras omni ſine labe Columbas,
Auro fel ſceleris caſtus abegit Amor.

LXXIII.

Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.
Lucæ 12.

Diſcipulus Chriſti legem ſeruauit vtramque.
Fax aurum, renum eſt cingulus ipſe pudor

LXXIV.

A mundi, mundi diſtat politia pudoris:
Ille aurum Sponſæ, quærit at ille dedit.

LXXV.

Homo quidam peregrè proficiſcens, tradidit ſeruis bona ſua.
Matt. 25.

Seruabus fului numeroſa talenta dat auri,
Protinùs & peregrè verus abiuit HERVS.

LXXVI.

Lampas bina tribus portanti dona puellis
Luxerunt; auri ſplendor, & ignis amor.

LXXVII.

Arbor bona fructus bonos facit. Mat. 7.

Arbor amor, melior quæ non datur arbor, opimos
Inde tulit fructus, aurea poma tulit.

LXXVIII.

Corde, manu, pede, ceu ramis tribus, aurea poma
Trina dat. Aurata eſt aureus arbor amor.

LXXIX.

Noctem verterunt in diem. Iob. 17.

In lucem inque diem noctem vertêre lucernæ
Auratæ in digitis, ô NICOLAE, tuis.

LXXX.

Nox illuminatio mea. Psalm. 138. SCAZON

Illuminatio nox erat NICOLAO,
Noctu lucernas dum ferebat auratas.

LXXXI.

Tres Soles sub Augusto.

Tres aurei Soles noctem micuêre per ipsam.
Alter an AVGVSTVS, Castus Ephebus erat?

LXXXII.

Nigra sum, sed formosa. Cant. 1.

Sum nigra, sed formosa; faces, Anima aurea, noctu
Dum gerit auratas, dicere iure potest.

LXXXIII.

Thesaurizate vobis thesauros, vbi non ærugo demolitur. Mat. 6.

Thesaurizat opes, vbi nil ærugo noceret.
Castus an ærugo est virgineusque pudor?

LXXXIV.

Mediâ nocte surgebam ad confitendum. Psalm. 118.

Quando senex vt opem deposcat ab æthere surgit,
Vt det non inopem, surgit Ephebus, opem.

LXXXV.

Virgo est virgineum quis Ephebo demat honorem;
Ipsum virgineo cor dedit ipse choro.

LXXXVI. PRO-

LXXXVI

PROTEVS CHRISTIANVS.

Ex Bernardo Bauhusio desumptus, & Deiparæ Virgini MARIÆ ab Authore adscriptus, hic per imitationem D. NICOLAO applicatus: qui sensu saluo & Heroici Carminis lege, verti potest, millies, bis & vicies, tot ora scilicet, quot cælum Sidera gerens, vt propterea vnius libri versum, & vnius versus librum, Author appellet. lib. 7: Epigr. *ad finem.*

Tot sibi sint laudes, Virgo, quot Sidera cælo,
Aurea dans cælo Sidera Virgineo.

LXXXVII.

ALTER PROTEVS.

Priore longè admirabilior. Nam sensu saluo & Heroici Carminis lege, verti potest, 3628800. *scilicet, tricies sexies centies millies, vicies octies millies, & octingenties, teste & Authore eodem Bauhusio.* Ibid.

REX, DVX, SOL, LEX, LVX, FONS, SPES, PAX, MONS, PETRA, CA
Virginibus castis omnia factus Amans. (STVS

LXXXVIII.

Et quoniam prædictus versus, è varijs Sacrarum literarum locis depromptus, (vt in Bauhusio videre licet) & Christo Saluatori est adscriptus, ideò hic per singulos titulos D. NICOLAO propositis rationibus applicatur.

REX.

Quod domat affectus, aut elicit AVRIFER, æquat
Tot Regum titulos, regna tot ambit AMANS.

LXXXIX. DVX

LxxxIX.

DVX.

Qui dare vult, inopemque manu texisse pudorem,
Castra petat miles DVX NICOLAVS vbi est.

XC.

S O L.

Vmbriferæ noctis tenebras, tenebrasque pudoris,
Auriferis radijs SOL Pataræe fugas.

XCI.

L E X.

LEX amor, aurato cuius dictamine, vitam
Tres Animæ à vitijs composuêre suam.

XCII.

REX & LEX.

Ne laxæ sine REGE volent sine LEGE puellæ,
REX & LEX posito limite factus amor.

XCIII.

L V X.

LVX mea, lux Pataræ, lux aurea, lucis & vmbram
Virgineæ, & cæcæ noctis opaca fugas.

XCIV.

F O N S.

Aureus illæsæ est FONS virginitatis Ephebus:
Tres Animæ puras vnde bibistis aquas.

XCV.

S P E S.

Quæ propè semirutum desperauêre pudorem
Vnica virginibus SPES NICOLAVS adest.

XCVI. PAX.

XCVI.

PAX.

Virgineus fera bella pudor ſibi mota timebat:
Cui aurata datâ PAX ope factus amor.

XCVII.

MONS.

Ju monte ſaluum te fac. Gen. 19.

In quo ſeruatæ ſine labe fuêre Puellæ,
MONS pietatis, amans virginitatis erat.

XCVIII.

PETRA.

Quam ſuper ingenuæ ſine clade ſtetêre Puellæ,
PETRA pudicitiæ caſtus Ephebus erat.

XCIX.

Ecce ego, mitte me, Iſaiæ 6.

Paſcendas ad apes auratis floribus, ibit
Quis? dicente DEO, dixit Ephebus, Ego.

C.

Dilectus meus candidus & rubicundus. Cant. 5.

Dic tibi dilectus quis Candidus & rubicundus?
Pro Candore animi, qui rubicunda dedit.

CONCLVSIO.

AD S. NICOLAVM.

Ora voco Centum, cecini quæ Diſticha centum:
Nec ſatis in laudes Diue tot ora tuas.

SYNCRISIS MVNERVM.

A NICOLAO gemino; altero in Coronâs officiosè; altero in Virgines pauperes liberalitèr profectorum.

Essem cùm placidis recubans Heliconis in vmbris
Miscuit hæc secum iurgia Terra, Polus:
Munere nil maius; primò Tellus ait vnquam;
Quàm, quod OBORSCIACVS *protulit almus ager.*
Munere, nil iterum maius repetit, Polus vnquam;
Quàm quod Myrrhensis Præsulis arca dedit.
Jlle dedit ternis sua LJLJA rubra Coronis;
Hæc tribus ast aurum virginibusq; dedit.
Cùmq; diu secum certarent: Rector ab alto;
Hæc, ait, arbitrio lis dirimenda meo
LILIA sunt viui flores; aurumq; metallum
Non viuens; Aurum flore sit ergo minus.

Lusit LAVRENTIVS WESOLECKI.
Stud: Pöeseos.

CRACOVIÆ,
In Officina Viduæ & Hæredum STANISLAI
BERTVTOWIC. A. 1657.